



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per
Quæstiones explicatur**

Eisengrein, Martin

Ingolstadii, 1577

VD16 E 795

V. Vtrùm extendat Absolutio Sacramentalis se ita ad peccata oblita, vt
virtute eius homo aequè ab oblitis, ac à confessis absoluatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30362

salutis tribuant: non potest non Confessio iure optimo dici spem salutis ministrare.

Extenditne Absolutio Sacramentalis se ita ad peccata oblita, ut virtute eius homo æquè ab oblitis ac à confessis absoluat?

Quæstio
V.

VIRTUTE Absolutionis omninò etiã peccata oblita remittuntur, idque probatur multipliciter.

Responsio.

PRIMO, quia vnum mortale sine alio remitti non potest: Sed vel omnia simul remittuntur, vel nullum, ac proinde si Absolutio Sacramentalis remittit peccata confessã, oportet etiam & oblita remittat.

SËCVNDO, si Sacerdos non remittit, nisi confessã, quandoquidem Christus dixit: Ioan. 20. Peccata, quæ vos remisistis, erunt remissã, quæ autem non remisistis, non erunt remissã; sequeretur quòd **DEVS** quædam peccata remitteret, & quædam non; cùm tamen impium sit, dimidiam à **DEO** sperare veniam; & certum sit, **DEVM**, quem sanat, perfectè sanare.

TERTIO, quia Absolutio Sacramentalis præstat gratiam ex opere operato: Sed gratia illa Sacramentalis equè repugnat peccatis oblitis in Confessione, sicut & confessis. Igitur omnia tam confessã, quàm oblita remittit huiusmodi Absolutio.

Cap. V. De Effectibus & utilitate

QUARTO, quia aliàs frustra esset Cōfessio in generali: Accusō me de aliis, quorum memoriam non habeo. Cuius contrariū habet communis vsus piorum hominū.

Quaestio Quānam Confessio peccatorum (paucis omnia complectendo) hominibus adfert utilitatem?
VI.

Respōsio. Tanta est Confessionis peccatorum utilitas, ut sine ullis testimoniis, possit quivis homo sapiens facillè intelligere, eam fuisse consilio, numine, benignitate Spiritus sancti institutam.

PRIMUM enim, quantum ad salutem cuiuslibet valeat sui ipsius cognitio, verbis exponi commodè non potest: Ut enim sui ignoratio animum excæcat erroribus, & superbum & insolentem efficit; ita humanae imbecillitatis, & miseriae recordatio ad sapientiae disciplinam mortales instituit.

DEINDE cum nemo possit, nisi per animi submissionem, Christi gratiam consequi; nihil est maiore cura, studio, sollicitudine curandū illis, qui Christi gratiam expetunt, quàm humilitatis istius, in qua est positum pietatis Christianae fundamentū, acerrimum studium, & acris in ea comparanda contentio. Hanc autem humilitatem excitat flagitiorum deformitas, oculis mentis & aspectui proposita, pudor ipsius turpitudinis